

fit ex singulis. Hoc faciat noster animus: omnia quibus est adiutus abscondat, ipsum tamen ostendat quod efficit. Vt quod odora pigmenta conficiunt, ante omnia curant, ut nullius sint odoris propria quam conficiuntur, confusuri uidelicet omnium succos odoraminum in spiramentum unum. Vides quod multorum uocibus chorus constet: una tamen ex omnibus redditur. Aliqua est illic acuta, aliqua grauis, aliqua media: accedunt uiris foeminae, interponitur fistula. ita uires singulorum illic latent, uoces omnium apparent, & fit concentus ex dissonis. Tale hoc presens opus uolo. Multae in illo artes, multa precepta sunt, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata. In quibus si neque ea quae iam tibi cognita sunt aspneris, nec quae ignota sunt uites, inuenies plurima, quae sint aut uoluptati legere, aut cultui legisse, aut usui meminisse. Nihil enim huic operi insertum puto, aut cognitu inutile, aut difficile preceptum: sed omnia, quibus sit ingenium tuum uegetius, memoria adminiculatior, oratio solertior, sermo incorruptior: nisi sicubi nos sub alio ortos caelo Latinae linguae uena non adiuuet. Quod ab hisce (si tamen quibusdam forte nonnunquam tempus uoluntasque erit ista cognoscere) petitum impetratumque uolumus, ut aequi bonique consulant, si in nostro sermone natua Romani oris elegantia desideretur. Sed ne ego incautus sum, quod uenustatem reprehensionis incurram a M. quondam Catone profecta in A. Albinum, qui cum L. Lucullo consul fuit: Is Albinus res Romanas oratione graeca scriptitauit. In eius historiae primo scriptum est ad hanc sententiam: Neminem succedere sibi conuenire, si quod in illis libris parum compositum, aut minus elegantem scriptum foret. Nam sum (inquit) homo Romanus, natus in Latio: unum & eloquium Graecum a nobis alienissimum est. Ideoque ueniam gratiamque malae existimationis, si quod esset erratum, postulauit. Ea cum legisset M. Cato: Nae tu, inquit, Aule nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa uacare. Nam petere ueniam solemus, aut cum imprudentes errauimus, aut cum noxam impio compellentis admisimus. Te (inquit) oro, quod perpulit ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres uti ignosceretur. Nunc argumentum quod huic operi dedimus, uelut sub quodam prologi habitu dicemus.

Argumentum operis totius quod sit.

Capitulum .I.

Saturnalibus apud Vectium Praetextatum nobilitatis Romanae praeceres doctique alij congregantur, & tempus sollemne feriatum deputant colloquio liberali: conuiuia quoque sibi mutua comitate praebentes, nec discedentes a se nisi ad nocturnam quietem. Nam pro omni spatium feriarum, meliorem diei partem serijs disputationibus occupantes, coenae tempore conuiuiales sermones agitant: ita ut nullum diei tempus, docte aliquid uel lepide proferendi uacuum relinquat. Sed erit in mensa sermo iucundior, ut habeat uoluptatis amplius, seueritatis minus. Nam cum apud alios quibus sunt descripta conuiuia, tum in illo Platonis symposio, non austeriore aliqua de re conuiuiarum sermo, sed cupidinis uaria & lepida descriptio est. In quo quidem Socrates, non arctioribus (ut assolet) nodis urget atque implicat aduersarium: sed eludendi magis quam decertandi modo, apprehensis dat elabendi prope atque effugiendi locum. Oportet enim uersari in conuiuio sermones, ut castitate integros, ita appetibiles uenustate. Matutina erit robustior disputatio, quae uiros & doctos & praecclarissimos deceat. Neque enim Cottae, Laelii, & Scipiones, amplissimis de rebus quoad Romanae literae erunt, in ueterum libris disputabunt: Praetextatos uero, Flauianos, Albinos, Symmachos, & Eusta-

Gellius libro
11. cap. 8.